



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Regensi Episcopo Et Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

paupertatis, apud sedem apostolicam misericordiam expectando, hanc cum eo duximus misericordiam faciendam ut ad executionem restituatur officij, & si beneficia quæ prius habuerat non sunt aliis rite collata, reddantur eidem, nec ex lata in ipsum impediatur sententia quò minus ad obtinenda ecclesiastica beneficia possit assumi, & tam in civitate ac diocesi Nannetensi quàm in aliis liberè conversari. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus circa eum sublato cujuscumque contradictionis & appellationis obstaculo quæ præscripta sunt exequi procuretis, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compescendo, non obstante quòd in his litteris totius negotij series non narratur, cum hac ad cautelam utamur ex certa scientia brevitate. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani x. Kalend. Iulij, anno tertio decimo.

**NOBILI VIRO SIMONI**  
de Monteforti, Comiti Lecestræ, Vicecomiti Biterrensi & Carcassonenfi.

**REGENSI EPISCOPO ET**  
Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legato.

**V**T hi qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem vivificæ crucis characterem assumpserunt eò ferventiùs publicam causam gerant quò se viderint proximorum subsidiis efficacius adjuvari, à vobis & à nonnullis aliis nobis fuit sæpe suggestum &c. sicut continetur in penultimo quaternio regestii duodecimi anni, de data Viterbij, per totum in eundem modum usque, ad explendum obsequium Iesu Christi, in Burdegalensi, Bisuntina & Viennensi provinciis, necnon Pampilonensi, Lemovicensi, Claromontensi, Aniciensi, Mimateni, Caturcensi, & Ruthenensi episcopatibus super hoc committendas vobis duximus vices nostras &c. ut in eadem per totum usque in finem. In aliis verò provinciis monitis & precibus insistatis ut ad tantum fidei Christianæ negotium consummandum de bonis sibi à Deo collatis subsidia conferant opportuna. Datum Laterani v. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

Epist. 87.  
Eis committitur vices suas in causa fidei.

\* id est; lib. 12.  
epist. 87.

**E I S D E M.**

**I**N tantum clamor qui dudum ascendit contra Narbonensem & Auxitanum Archiepiscopos invalescit quòd dissimulare ipsum ulterius sine periculo non valemus. Ne igitur ex nequitia sua possint commodum aliquòd reportare, cum non solum negligentes sint, ut asseritur, sed etiam pestilentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super omnibus quæ proponuntur contra eos diligentius veritate, ac habentes præ oculis solum Deum, quòd super hoc canonicè fuerit statuendum sublato appellationis obstaculo statuatis, facientes quòd statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani i v. Kalend. Iulij, anno tertio decimo.

Epist. 88.  
Eis committitur accusatio adversus Archiepiscopos Narbon. & Auxitanum.  
Vide supra lib. 10. epist. 63. lib. 14. epist. 32. & lib. 16. epist. 3.

**ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI.**

**V**eniens ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Herde Comes de Similione quendam fundum suum beato Petro Apostolo & Romanæ Ecclesiæ obtulit humiliter & devotè, in quo ad honorem ejusdem Apostoli Ecclesiæ ædificare disponit, & eidem nonnullas de suis possessionibus assignare. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes, præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus venerabilem fratrem nostrum

Epist. 89.  
De Ecclesiâ construenda in fundo Romanæ Ecclesiæ.

Epist. 86.  
Circumscriptum Al-

Epist. 87.  
lib. 12.

Epist. 88.  
lib. 10.  
epist. 63.

